

Pergamena 9

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 9

06-08-1353

+ Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, regnantibus serenissimis dominis, domino nostro Ludovico et domina nostra Iohanna, Dei gratia Ierusalem et Sicilie rege et regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forqualquerii ac Pedimontis comitibus, regnorum vero predicti domini regis anno quinto et prefate domine regine anno undecimo, feliciter amen. Die sexto mensis augusti sexte indictionis apud civitatem Potentiam, in presentia iudicis Girardi de Garruba, annalis predicte civitatis Potentie iudicis, Angeli de Gaudiano de eadem civitate puplici ubilibet per regnum Sicilie regia et reginali auctoritate notarius et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum. Ego Salerna de domino Rogerio de Potentia, relicta quondam Roberti de Madio de eadem terra, mero iure Romano vivens sicut ceteri homines et mulieres de prefata civitate Potentie ab antiquo vixerunt et vivunt, manifestum facio vobis nobilibus viris et muliere, Francisco, Iannocto et Iacobino, filiis quondam Barione de Madio de dicta civitate Potentie et Angelillo, filio quondam Nicolai de Madio ac domine Francesce de Lacupensuli de eadem civitate avie et tutrici legitime Angelilli, pupilli, filii et heredis quondam Francisci de Madio, filii vestri. Propter quod ad preces et rogationes meas per me vobis proinde factas, concessistis mihi tenere et possidere precario nomine in vita mea donec vixero, a vobis, tam vestrorum nomine quam nomine et pro parte prefati Angelilli pupilli, omnes domos vineas casilia ortos terras et quecumque alia omnia bona stabilia, que fuerunt dicti quondam Roberti de Madio patruis vestri et predicti Angelilli pupilli et viri mei iam dicti, sistentia intus predictam terram Potentie et eius territorio, ad vos spectantes et pertinentes hereditario

nomine et pro parte quondam abbatis Girardi de Madio patrum vestri et prefati pupilli. Et dudum ipsa bona stabilia eidem abbati Girardo per me vendita prout in quodam puplico instrumento inde confecto plenius et serius continetur, ita quod ex predictis bonis stabilibus possim libere percipere et habere et sine aliqua contradictione vestra seu vestrorum aliquo vel aliquibus pro parte vestra et pupilli iamdicti fructus redditus et proventus donec vixero, ut est predictum, et de eisdem fructibus redditibus et proventibus facere velle meum. Scribo et firmo atque sollempni stipulatione promicto vobis et dicto pupillo ac vestris heredibus ut predicta tenuta non faciat vobis et dicto pupillo seu vestris heredibus preiudicium vel sasinam, sed completo termino vite mee dicta bona omnia stabilia france et libere revertantur ad manus vestras et dicti pupilli vel heredum vestrorum, sine contradictione et impedimento quocumque tam meorum heredum quam aliorum volentium et debentium contradicere in bonis stabilibus supradictis, occasione tenute predicte; obligans me proinde et heredes meos circa premissa omnia et singula adimplendum et non contraveniendum, ad penam unciarum auri decem. Cuius pene medietate vobis seu prefato pupillo vel vestris seu suis heredibus et reliqua medietate regie et reginali curie componendo, me predicto notario Angelo tamquam persona publica pro parte dicte curie sollempniter et legitime stipulante. Qua pena soluta vel non, firmis remanentibus omnibus et singulis supradictis et nos predicti iudex, notarius et testes subscripti declaramus atque fatemur quod predicta omnia et singula in nostri presentia acta fuerunt sive gesta. In cuius rei testimonium et omnium quorum interest et interesse poterit certitudinem et cautelam,

presens publicum instrumentum exinde factum est per manus mei notarii supradicti, signo meo solito signatum, subscriptione mei qui supra iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi ego idem Angelus de Gaudio publicus ut supra notarius, quia predictis rogatus interfui et meo solito signo signavi.

+ Ego Girardus de Garruba, iudex civitatis Potentie qui supra. + Ego Matheus de Stampis, miles civitatis Potentie comestabulus interfui. + Ego Nicolaus de notario Andrea interfui. + Ego Angelus de notario Andrea interfui.